

## LIBER

cœturis crebris, efficiuntur ut adueniant colores. Cū  
 ergo hæc emissæ erunt, tunc minium propter argenti  
 uiuerelectionem, quas in se naturales habuerat uir-  
 tutes relinquit, & efficitur tenera natura & uiribus  
 imbecilla. Itaq; cum est in expolitionibus conclauium  
 tectoriis inductum, permanet sine uitis suo colore.  
 Apertis uero, idest peristylis, aut exedris, aut cæte-  
 ris eiusmodi locis, quo sol & luna possit splendores  
 & radios immittere, cum ab iis locus tangitur, uitia-  
 tur, & amissa uirtute coloris, denigratur. Itaq; cum  
 & alii multi, tum etiam Faberius scriba cum in auen-  
 tino uoluisset habere domum eleganter expolitam,  
 peristylis parietes omnes induxit minio, qui post di-  
 es triginta facti sunt inuenusto uarioq; colore. Itaq;  
 primo locauit inducendos alios colores. At si quis sub-  
 tiliior fuerit & uoluerit expolitionem miniaceam su-  
 um colorem retinere, cum paries expolitus & aridus  
 fuerit, tunc ceram punicam igni liquefactam paulo  
 oleo temperatam seta inducat. Deinde postea carbo-  
 nibus in ferreo uase compositis eam ceram apprime  
 cum pariete calefaciundo sudare cogat, fiatq; ut per-  
 æquetur. Deinde cum cædela linteisq; puris subigat,  
 uti signa marmorea nuda curantur. Hæc autem non  
 siq; græce dicitur. Ita obstans cære punica loricæ non  
 patitur, nec lunæ splendorem, nec solis radios lam-  
 bendo eripere ex his politionibus colorem. Quæ autem  
 in ephesiorum metallis fuerunt officinæ, nunc traie-  
 ctæ sunt, ideo Romæ, quod id genus uenæ postea est  
 inuentum hispaniæ regionibus, ex quarum metallis  
 glebæ portantur, & per publicanos Romæ curantur.